

interdicto, si revera ejus efficiatur pars, sitque minus præcipua, et quasi accessoria, quia eadem proportionalis ratio in illa locum habet. Quod verum est tam in interdicto particulari loci quam in generali, quia uterque locus est quoddam totum, et utriusque fieri potest alicujus partis adjectio, qua facta nihilominus semper idem locus manet, in quem per se, ac directe latum est interdictum; et ideo semper totus ille locus interdictus manet. Nam, ut dixit Bartholus, in l. Si converterit, § Nulla, ff. de Pignoratitia actione, locus adjectus alteri, si unus cum eo efficiatur, cui adjectur, legibus ejus, cui adjectus est, gubernatur. Oportet autem, ut locus addatur loco; nam si addatur personæ, non fit unus locus, nec propterea communicatur interdictum; ut licet regnum Lusitanie sit additum regi Castellæ, nihilominus interdicto regno Castellæ, non esset interdictum regnum Lusitanie, quia non est additum regnum regno, ita ut ex utroque factum sit unum politicum corpus. Necessè est etiam, ut maneant idem locus, vel idem populus, morali, et humano modo loquendo; nam si tanta sit additio, ut vincat, et superet pars addita et non interdicta, vel etiam tanta sit mutatio ut neuter locus manere censeatur, sed novus consurgere, non solum non afficietur interdicto id, quod additur, verum potius totum interdictum cessabit, quia destructum est subjectum ejus.

11. *Quartum dubium.* — Num per generale interdictum personale possit quis seipsum interdicere. — Ratio dubitandi. — Ultimo circa personam quæ interdicetur, dubitari potest, an per interdictum generale personale possit quis seipsum interdicere. Quod dubium non habet locum in interdicto speciali; jam enim de censura in communi ostendimus, neminem posse seipsum censura ligare. Quod maxime verum est de censura directe lata in seipsum, qualis est omnis censura personalis. At vero mediate et per redundantiam, prout fieret per interdictum generale, non videtur hoc repugnare, quia qui immediate interdicitur, quid distinctum est a persona ferente interdictum, saltem ut totum a parte; ergo hoc satis est, ut possit aliquis et ferre interdictum in aliquam communitatem, a quo illo modo distinguitur, ut Episcopus in totum clerum, et simul possit ligari interdicto illo tanquam pars illius communitatis. Et confirmatur a contrario, nam communitas interdicere potest aliquod membrum suum, ut

supra de censura in communi dictum est; ergo et pars potest interdicere communitatem, et quasi per consequens, et concomitanter, seipsum ut partem ejus, sicut rex suis legibus obligat regnum, et concomitanter seipsum, et Pontifex concedendo indulgentiam communitati, concedit sibi.

12. *Conclusio.* — Respondetur nihilominus, hoc non posse fieri, sed quotiescumque aliquis interdicat communitatem, cujus ipse videtur esse pars sub aliqua ratione, non interdicat illam ut talem seu ut ipsum comprehendit, sed sub alia magis particulari; ut quando Episcopus interdicat suum clerum, respicit illum ut corpus distinctum a se; alioqui etiam Papa interdicendo, v. gr., generale Concilium, posset hoc modo seipsum interdicere, quod plane falsum est. Ratio vero est, quia ligare aliquem interdicto pertinet ad jurisdictionem coercivam; nemo autem potest habere hanc jurisdictionem in seipsum, nec directe, nec per redundantiam, quia repugnat actui talis jurisdictionis, qui de se coactionem includit. Item ille qui interdicat, debet esse superior; nemo autem habet jurisdictionem superioris in totam aliquam communitatem includendo seipsum, ut per se satis constat, et ita facile solvuntur rationes dubitandi in contrarium objectæ.

### SECTIO III.

Quam ob causam ferri possit interdictum.

1. *Conclusio prima.* — In hac sectione explicanda est causa finalis interdicti, cujus cognitio maxime pendet ex causa seu culpa, propter quam ferri potest. Nam cætera omnia, quæ de hac causa dici poterant, per se et ex superioribus satis nota sunt. Nam cum unaquæque res sit propter suum effectum, omnes effectus proprii interdicti possunt dici finis ejus; tamen cum hi effectus sint pœnales, non sunt propter se intenti, sed propter alia, scilicet propter punitionem vel emendationem delicti. Cum ergo in superioribus dictum sufficienter sit de ejus effectibus, solum superest declarandum, quæ sit causa, ob quam et interdictum, et effectus ejus possunt imponi. Quia vero in diversis speciebus interdicti diversæ causæ requiruntur, ideo de singulis melius dicemus; nam in communi solum dicere possumus ea, quæ communia sunt omnibus censuris, nimirum, interdictum sit pœna, et ex suo genere gravissima, non posse ferri, nisi propter culpam sibi pro-

portionatam, ut supra in proprio loco ostendimus.

2. Dico ergo primo: interdictum personale speciale non potest in aliquem ferri nisi propter propriam culpam ejus, quam oportet esse mortalem, si interdictum simpliciter et absolute feratur; posset autem sufficere venialis, si interdictum nimis limitatum et leve imponeretur. Prima pars communis est et probatur facile, quia interdictum cum sit pœna, requirit culpam; sed cum in aliquem in particulari imponitur, est propria et specialis pœna illius tantum; ergo requirit culpam ejus, alias nec rationabiliter, nec juste talis pœna imponeretur.

3. Secunda pars et per se et ex dictis in simili de suspensione et excommunicatione nota est; nam sine dubio interdictum integrum est gravissima pœna, quia privat hominem maximis bonis, scilicet spiritualibus, ad quæ habet jus; ergo non potest juste ferri propter levem culpam. Ultima vero pars declaratur, quia potest interdictum ferri non in totum, sed ex parte, ut dictum est de ingressu Ecclesiæ, et possit similiter ferri interdictum ab usu communionis ad breve tempus; ergo interdictum sic limitatum posset ferri propter solam venialem culpam. Patet consequentia, quia tale interdictum non est gravior pœna, quam sit excommunicatio minor; sed hæc ferri potest pro veniali culpa; ergo et tale interdictum, quanquam verum sit raro ferri hujusmodi interdictum.

4. *Conclusio secunda.* — Dico secundo: interdictum personale generale longe gravio-rem causam et culpam requirit, quam speciale; non tamen eam exigit in omnibus personis, quæ tali interdicto ligantur, sed in corpore morali, ut tale est, vel in magna parte personarum ejus, vel in capite. Tota assertio sumpta est ex communi doctrina. Et probatur prima pars, quia pœna esse debet proportionata culpæ; sed hoc interdictum longe gravius est, quam speciale, quia non solum unam et aliam personam, sed totam communitatem plurimum gravat; ergo requirit longe gravio-rem causam. Unde cum propria causa pœnæ sit culpa, etiam requirit gravio-rem culpam. Secunda pars expressa est in cap. Si sententia, de Sentent. excom., in 6, et constat in simili ex dictis de suspensione communitatis. Nec potest aliter censura ferri in communitatem, ut sic; nam si tantum possent personæ delinquentes ligari, oporteret singulorum causas seu culpas examinare,

et tunc de singulis sententiam ferre. Item ob eam causam non potest excommunicatio ferri in communitatem, quia nemo potest sine propria culpa excommunicari; ergo hoc ipso quod interdictum ferri potest generatim in communitatem, fit consequens, ut per illud ligari possint etiam qui non peccarunt.

5. *Cujus culpa sufficiat ad interdictum personale generale.* — Tres gradus hujus delicti. — Secundus. — Tertius. — In tertia vero parte explicatur, cujusnam culpa sufficiat ad hoc interdictum ferendum, et, ut manifestum supponitur, non cujuscumque privatae personæ delictum sufficere ad hoc generale interdictum ferendum, quia pœna debet esse proportionata culpæ; pœna autem communis non est proportionata culpæ privatae, sed excedens; ergo contra rationem est, ut propter contumaciam vel delictum unius vel alterius privatae personæ, tota communitas patiat. Oportet ergo, ut delictum aliquo modo sit commune, in quo possunt esse tres gradus in conclusione explicati: unus est, si rector vel dominus populi causam dederit interdicto, prout habetur in dict. cap. Si sententia. Et ratio est, quia delictum capitis est quodammodo commune, et quia sicut talis culpa capitis quodammodo redundat in corpus propter conjunctionem, et quia potestas superioris est quodammodo totius communitatis, ita e converso talis pœna totius corporis redundat in caput et auget afflictionem ejus, quia subditi aliquid moraliter sunt ipsius domini seu Prælati. Secundus gradus est, quando delictum ipsum procedit a communitate, ut talis est, scilicet a Capitulo, a collegio, etc. Quod etiam est certissimum, quia tunc delictum est maxime publicum et commune, et quia tunc proprie pœna fertur in eum, qui deliquit. Nec vero necesse est, ut omnes de universitate formaliter, ut sic dicam, conveniant in illam congregationem, ex cujus consensu proxime fit delictum; sed satis est, quod talis congregatio totam universitatem representet; ut interdicatur tota respublica propter delictum commissum publico concilio Senatorum, etc., quia illud concilium est vel ipsius capitis, vel certe totius corporis, quod illi congregationi commisit vices suas, et ita est in illa representative seu virtute. Atque eadem ratione necesse non est, ut omnes particulares personæ talis congregationis consentiant, sed sufficit, ut totum corpus operetur. Tertius gradus est, si majori ex parte tale delictum in personis illius communitatis inveniat,

quamvis non fiat nomine communitatis vel aliqua publica potestate; et hoc non est adeo certum, quia tale delictum absolute non est commune, et posset cum proportione puniri interdicens specialiter plures personas communitatis. Et ideo ita videtur hic gradus explicandus, ut implicite saltem aliquem ex superioribus includat, et ad hoc declarandum illum proposuimus. Si enim princeps vel respublica nec expresse, nec tacite consentiat tali delicto, sed faciat quod potest et debet ad illud impediendum, non videtur illa sufficiens ratio ferendi generale interdictum personale, ut ratio facta probat. At vero si in huiusmodi casu gubernator aut respublica non resistat, sed negligenter se gerat, tacite censetur consentire aut inique illud permittere; ideoque illa jam est sufficiens causa huiusmodi interdicti, quia in principem seu communitatem redundat.

6. *Conclusio tertia.* — Dico tertio: interdictum locale generale, ut juste feratur, requirit causam gravissimam, quæ non solum peccatum mortale contineat, sed etiam sit generalis ex peccato aliquo modo publico seu communi procedens. Ita sentiunt communiter Doctores, ut patet ex Sylvestro, verb. *Interdictum*, 3, quæst. 5; Angelo, *Interdictum*, 3, num. 5; Navarro, cap. 27, num. 168; Covarruvia, in cap. Alma, part. 2, § 1, num. 4 et 5; Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 1. Et probatur fere eodem modo, quo præcedens conclusio; nam hoc interdictum etiam est censura et pœna gravissima; ergo necessario requirit culpam gravem et mortalem; imo recte dicunt dicti auctores, ad hoc interdictum ferendum graviolem causam postulari, quam ad ferendam excommunicationem, quia est pœna, quæ redundat in totam communitatem, quam privat quodammodo divino cultu publico, quo solent homines maxime ad devotionem excitari; ex quo multa alia incommoda sequuntur, quæ recensentur in cap. Alma, et in Extravagant. *Provide*, de Sentent. excomm., et sæpe alias. Rursus causa huius interdicti non potest inveniri in illa re, quæ immediate afficitur tali interdicto; est enim locus, qui directe interdicatur; at ille non est capax culpæ, quæ est proxima causa interdicti. Necesse est ergo, ut talis causa sit in aliquo homine, ad quem locus ille, qui interdicatur, aliquo modo pertineat; non enim potest locus interdici propter peccatum personæ omnino extraneæ, alioqui pœna nullo modo redundaret in auctorem delicti, sed tantum in alios. Præterea non satis est,

quod sic delinquens sit aliqua persona privata illius loci, quia pœna hæc redundat in totam universitatem, quæ non debet ita gravari propter unius privati delictum. Necesse est igitur, ut tale delictum sit ipsius principis, seu gubernatoris, aut totius communitatis eo modo, quo interdicto generali personali declaratum est. Nam interdictum locale in hoc cum illo convenit, quod ita gravat communitatem, ut se extendat etiam ad innocentes, qui nullam causam dederunt; nam illi etiam non possunt in loco interdicto divinis interesse, etc., et ideo oportet, ut causa aliquo modo communis sit. Atque ita in cap. Non est vobis, de Sponsal., propter peccatum regis regnum ejus interdicto subjicitur, et in cap. Si sententia, de Sent. excomm., in 6, habetur, propter peccatum domini vel rectoris interdicti posse civitatem.

7. *An ob peccatum spiritualis pastoris ferri possit interdictum generale loci.* — Dubitari tamen solet, an propter peccatum spiritualis pastoris, ut Episcopi, v. gr., possit poni hoc interdictum generale loci. Quidam negant, nisi Episcopus sit etiam temporalis dominus illius loci. Sed hoc nec jure, nec ratione fundatum est; nam in cap. Sane, 2, de Officio deleg., dicitur, iudicem delegatum Pontificis, si ei Episcopus obedire nolit, posse propter ejus contumaciam terram ejus jurisdictioni subjectam interdicto supponere. Neque est ulla ratio, ob quam conjunctio seu subjectio temporalis ad hoc sufficiat, non vero spiritualis. Atque ita notavit Abbas, in dict. cap. Sane, num. 6, et ibi Felinus, Decius, et alii, et Covarruvias supra.

8. *An propter temporale debitum possit imponi interdictum generale locale.* — Num possit imponi particulare. — Dubium vero est, an propter debitum temporale solvendum possit hoc interdictum poni, quando Episcopus vel princeps est contumax in non solvendo. Respondetur breviter, auctoritate Summi Pontificis poni posse, quia etiam illa contumacia potest esse grave delictum talis principis; sine licentia autem Pontificis non posse, quia ita cautum est in Extravagant. *Provide*, de Sentent. excomm., ubi nec potestate ordinaria, nec delegata, tale interdictum ferri permittitur propter dictam causam, nisi de licentia speciali et expressa Apostolicæ Sedis, per ipsius Sedis patentes litteras appa-  
*rente*; et interdictum alias latum, irritum et inane dicitur. An vero illa decisio extendatur ad interdictum locale particulare, incertum

est; frequenter enim auctores censent, ibi tantum esse sermonem de interdicto generali; ideoque in particulari Ecclesia posse poni interdictum propter huiusmodi causam sine speciali licentia Pontificis. Ita Navarrus, dicto num. 168, qui citat Calderinum, et Dominicum, et Stephanum; et Sylvester refert Archidiaconum; contrarium tamen tenet Covarruvias. Cui sententiæ videntur favere verba textus, quæ generalia sunt, præsertim si vox illa, *locus*, in sua generalitate sumatur; tamen si recte expendantur verba textus, ibi *locus* non ita sumitur, sed pro parvo oppido, ut Glossa etiam intellexisse videtur. Et ideo probabilius est, ibi tantum esse sermonem de interdicto generali, quia omnia verba textus in illud tantum proprie conveniunt. Unde nec ad interdictum generale personale illum textum extendendum censerem, quamvis videatur esse fere similis ratio; tamen hoc non sufficit, quando verba legis limitata sunt. Atque ita intellexit textum illum Panormit., in cap. Cum in partibus, de Verb. signif.

9. *Conclusio quarta.* — Ultimo dicendum est, interdictum locale particulare etiam requirere culpam gravem, et aliquo modo communem, quamvis minorem, quam interdictum generale. Hoc ultimum per se notum est, quia hoc interdictum multo minus gravis pœna est, quam generale. Primum vero declaratur, quia hoc interdictum est gravius ex suo genere, quam interdictum particulare personale, quia redundat in gravamen plurium personarum, etiam innocentium; ergo requirit graviorem causam. Unde fit, nec ferri posse propter peccatum, quod mortale non sit, nec etiam propter peccatum omnino privatum unius personæ particularis, cum pœna sit aliquo modo communis; igitur servanda est proportio inter hanc pœnam et culpam, ut in reliquis; quod arbitrio prudentis relinquendum est.

*Solvitur difficultas quedam circa præcedentes conclusiones.*

10. Una vero superest difficultas, præsertim circa tres ultimas assertiones. Quia non videtur justa pœna, quæ non solum in eos, qui peccarunt, sed etiam in innocentes redundat. Item quia ex hoc genere censuræ magna incommoda videntur sequi populo Christiano in rebus spiritualibus, quæ non videntur permittenda, nedum inferenda propter emendandum alicujus delictum; præser-

tim cum commune bonum præferendum sit cuicumque particulari. Magisque urget hæc difficultas, quando hæc censura non infertur, ut recedatur a contumacia, sed simpliciter pro delicto commisso; nam pœna, quæ sic imponitur, non est ad emendationem, sed ad vindictam; videtur autem non expedire, privare aliquem spiritualibus bonis in vindictam peccati; multoque magis improportionatum videtur privare totam aliquem communitatem eisdem bonis in vindictam alieni peccati.

11. *Respondetur ad difficultatem.* — Respondetur, quando interdictum fertur, ut recedatur a contumacia, esse non solum licitum, verum etiam valde expediens, dummodo ex causa legitima, et proportionata, et prudenti ac moderato modo fiat, quia est medium efficax ad reprimendum inobedientes Ecclesiæ, et ad defendendam Ecclesiæ auctoritatem et potestatem. Nec refert, quod aliqua incommoda sequantur, quia non sunt substantialia, sed accidentalia, et propter majus bonum permitti possunt; nulla enim fere est medicinalis pœna, quæ non afferat aliquod detrimentum; toleratur tamen propter utilitatem medicinæ. Nec etiam obstat, quod gravamen hujus pœnæ interdum redundet in innocentes: tum quia satis est, quod sint partes illius communitatis, cui aliquo modo attribuitur delictum, propter quod fertur interdictum; tum maxime quia cum Ecclesia præcipue ferre soleat hanc censuram propter suam auctoritatem et dignitatem tuendam, mirum non est, quod interdum permittat privata incommoda propter hoc bonum commune, quod majus est.

12. *An generale interdictum ferri possit in puram pœnam.* — *Prima opinio affirmans.* — *Excluditur responsio.* — At vero si interdum feratur pro delicto commisso ut pura pœna, nonnulla major est difficultas; nam quod ita ferri possit, communiter affirmari videtur, ut notavi supra, disputat. 3, sect. 4. Et indicat Navarrus, cap. 27, num. 164 et 165. Quo supposito responderi potest, pœnam interdicti non esse spirituales; ideoque non esse inconveniens, ut prædicto modo feratur. Ita significat Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 1, num. 4, et probat, quia interdictum proprie animam non afficit, nec privat communionem suffragiorum Ecclesiæ. Sed hæc responsio mihi non probatur; nam imprimis omnis censura est spiritualis pœna, ut supra ostendimus agendo de censuris in communi. Deinde manifestum videtur, illa bona, quibus

hæc censura privat, non solum esse spiritualia utcumque, vel spiritualibus annexa, sed etiam per se multum conferre ad spirituale bonum animæ; hujusmodi enim est sacramentorum usus, et sacrificii, aliorum divinatorum officiorum participatio; est ergo interdictum et pœna spiritualis, quatenus censura est, et privans bonis pertinentibus ad spirituales salutem, saltem causaliter, quatenus talis censura est. Et ideo potest aliter responderi ex Glossa, in cap. Si sententia, de Sententia excommunicationis, in 6, verb. *Interdicti*, dicente, pœna spirituali posse aliquem puniri pro delicto alterius. Quod confirmat ex his, quæ Gratianus late tractat, 4, quæst. 4, et 24, quæst. 3. Et ratio reddi potest, quia tunc illa non est proprie pœna ejus innocentis, qui illam patitur, sed alterius, qui deliquit, qui in alio sibi conjuncto punitur, et per illum affligitur. Item quia licet bona, quibus hæc censura privat, spiritualia sint, non tamen sunt simpliciter necessaria, et aliis modis compensari possunt.

13. *Interdictum generale non fertur in puram pœnam.* — Sed nihilominus hactenus probatum satis non est, interdictum locale vel personale generale ferri posse juxta usum Ecclesiæ, ut puram pœnam delicti commisi, quia neque in jure tale interdictum latum invenio, neque a judicibus Ecclesiasticis aliquando ita fertur. Hoc posterius constat ex usu; prius vero probatum est in dicta sect. 4. Et textus, quos in contrarium Navarrus adducit, nihil probant, scilicet, cap. 2 de Constitutionibus, in 6, ubi solum dicitur, *statuto* Episcopi non ligari ignorantes, quod ad rem præsentem nihil facit; et cap. Quanquam, de Censibus, in 6, ubi quoddam interdictum ipso jure fertur, non tamen sine contumacia, et donec ab illa recedatur, ut magis patebit infra tractando de singulis interdictis; ubi etiam constabit, nunquam aliter ferri interdictum in jure. Facilius ergo et fortasse melius responderi posset negando, hæc interdicta ferri in puram pœnam seu vindictam; nam quod id certe non expediat, ratio facta multum suadet, maxime cum id non videatur necessarium ad Ecclesiæ auctoritatem et potestatem tuendam. De interdicto autem particulari personali id facilius concedi posset, quia id non redundat in damnum innocentum, et alioqui potest interdum conferre ad confusionem ejus, qui ita panitur, et ut in futurum cautior fiat, sicut aliquis interdum privatur communione aut ingressu Ecclesiæ

pro aliquo tempore, ut patet in cap. 4 de Sentent. excomm., in 6, et ex supra tractatis disputando de excommunicatione minori, et alia addemus disputatione sequenti.

14. Ultimo dubitari poterat, an sententia interdicti lati sine legitima causa, atque adeo injusta, valida sit. Sed de hac re videantur dicta de censuris in communi; nulla enim superest specialis difficultas.

#### SECTIO IV.

Quæ forma servanda sit in sententia interdicti ferenda.

1. *Quid de substantia hujus formæ.* — Duo possunt inquiri, quid pertineat ad substantiam hujus formæ; quid vero ad accidentalem solemnitate ejus. Circa priorem partem videnda sunt dicta de censuris in communi et hic cum proportione applicanda; nam de substantia hujus formæ solum sunt verba, quibus talis censura cum sufficiente specificatione et determinatione feratur. Nam sine verbis (sub quibus signa æquivalentia comprehendimus), non potest humanus iudex aliquid operari; per illa vero efficaciter operatur, supposita potestate, et aliis requisitis. Quia vero hæc verba practica sunt, et operativa, et operationes sunt circa singularia, ideo necesse est, ut in talibus verbis sit significatio sufficienter determinata, tum in specie censuræ, tum in individua persona vel loco, in quem fertur; nam si in hoc maneret incerta vel indifferens, nihil operaretur. Præter hæc autem nihil aliud, nec certa aliqua verborum forma præscripta est, ut feratur interdictum, sicut de omni censura Ecclesiastica diximus.

2. *An verbum Interdico, sit de substantia formæ.* — *Conclusio.* — *Limitatio interdicti exprimi debet in ipsa forma.* — Quæri vero potest, an sit necessarium uti hoc verbo, *Interdico*. Quidam enim ita opinantur, ut refert et ex parte sequitur Maiolus, lib. 3 de Irregularit., cap. 20, num. 40, qui nescio quam differentiam in hoc invenit inter personale interdictum particularis personæ, et reliqua. Sed ego nullam invenio, quia non magis est præscripta verborum forma in interdicto generali quam in particulari; unde in nullo censeo esse necessarium illud formale verbum, *Interdico*. Sicut in cæteris non est necessarium verbum *Excommunico*, aut *Suspendo*; imo aliquando fertur censura interdicti per verbum *Suspendo*, ut de interdicto ab ingressu Ecclesiæ supra diximus. Potest etiam ferri

#### DISPUTATIO XXXVII.

DE OMNIBUS INTERDICTIS JURE IPSO LATIS.

Priusquam de relaxatione interdicti dicamus, visum est singula interdicta, quæ in jure lata inveniuntur, declarare, quoniam et disputatio hæc nonnullam connexionem habet cum præcedenti, et illa expedita (quod breviter fieri potest) facilius omnium interdictorum relaxatio declarabitur. Exponemus ergo prius singula decreta hanc censuram imponentia; postea vero quomodo tale interdictum jure latum ipso facto liget, explicabimus.

#### SECTIO I.

Quæ, et quot interdicta ipso jure lata inveniuntur.

1. Quoniam hæc censura rarius in jure fertur, quam superiores, ideo non oportebit per singulos libros, seu tomos juris discurrere, sed solum per species interdicti personalis et localis, generalis et particularis; nam in singulis inveniuntur particulares casus, in quibus per jura feruntur.

#### *Interdicta specialia personalia.*

2. *Primum contra iudices non servantes formam præscriptam in ferendis censuris.* — *Quatuor adnotanda.* — Primum interdictum in hac specie sumitur ex cap. 4 de Sentent. excomm., in 6, ubi Ecclesiasticus iudex, qui in ferendis censuris non servat formam ibi præscriptam, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, et divinis officiis suspenditur. In quo textu nonnulla breviter sunt notanda. Primum est verbum illud, *Si quis iudicum hujus constitutionis temerarius violator existat*; nam juxta illud necesse est, ut ex certa scientia, et directa voluntate, vel certe ex tanta negligentia, quæ illi moraliter æquivalet, et non ex aliqua inadvertentia talis transgressio contingat; hoc enim requiritur, ut aliquis dicatur *temerarius violator*; quod in aliis censuris sæpe notavimus, et ex ibi dictis explicandum est. Secundum est, licet pœna illa feratur per verbum suspendendi, tamen quatenus suspendit ab ingressu Ecclesiæ, non esse censuram suspensionis, sed interdicti, quia ex effectu, et ex materia necessario determinatur verbum ad hanc significationem, ut in superioribus notavi. Verisimile

per verbum *Separo*, *Prohibeo*, vel aliud simile, dummodo ex aliis verbis adjunctis, vel ex materia subjecta, et circumstantiis satis significetur, sermonem esse de hac censura in tali modo, vel specie ejus, et in tali individuo. Atque eadem ratione, si interdictum feratur limitatum quoad effectus, vel tempus, in forma id exprimi necesse est; nam, si absolute feratur quantum ad hæc duo, et omnes effectus interdicti operabitur, et quantum est ex vi talis sententiæ, vel juris, semper durat, donec auferatur. Quæ duo ita hic explicanda et probanda sunt, sicut similia de suspensione diximus; et priorem partem in hac ipsa materia sæpe tetigimus; de posteriori autem dicemus infra agentes de interdicti relaxatione.

3. *De solemnitate accidentali.* — *Triplex generis solemnitatis accidentalis.* — *Antecedens.* — *Concomitans.* — *Subsequens.* — Superest dicendum de altera parte proposita, scilicet de solemnitate accidentali. In qua tria, prout in aliis fecimus, distinguimus, nimirum, quod antecedit, comitatur, vel subsequitur sententiam. Antecedens solemnitas dici potest monitio, quæ præcedere debet, de qua sufficienter diximus tractando de censuris in communi. Et resolutio est, quoties interdictum fertur per modum censuræ ad reprimendam contumaciam, monitionem debere præcedere. Si autem aliquando feratur ut pura pœna propter delictum præteritum, tunc non esse necessariam monitionem. Quæ autem admonitio in priori casu accidentalis sit, quæ vero substantialis, eodem loco satis explicatum est. Solemnitas concomitans dicitur illa, quæ in sententia ferenda servanda est juxta cap. 4 de Sentent. excomm., in 6, cujus decisio in hac etiam censura locum habet, et supra de censuris in communi sufficienter tractata est. Et ad hanc partem revocari possunt omnia, quæ spectant ad judicarium ordinem rite servandum; quamvis inter ea nonnulla dici possint substantialia, quia ex eis valor sententiæ pendet, vel quia ita expressum in jure est, vel quia jurisdictio iudicis a tali circumstantia pendet, ut si sententiam ferat post legitimam appellationem interpositam. De quibus omnibus dicto loco satis dictum est. Solemnitas subsequens dicitur denunciatio hujus censuræ. De qua propter dicta de censuris in communi, in interdicto habet nonnullam difficultatem quomodo necessaria sit, ut liget vel personam, contra quam talis censura fertur, vel alias, quam explicabimus commodius in fine sequentis disputationis.